

idem est, barbarismo in iure civili aditum ad hanc nostram academiam pro pudor! patefecerit, multa proferri in medium disputarique possent, nisi et temporis angustiae, quibus circumscriptus sum, orationis cursum impedirent ac sufflaminarent, et verendum esset, ne cupidius magis, quam verius, a nobis dicta esse viderentur. Nolite tamen mihi, qui liberalissimarum artium scientia non
male

forte in posterum in celeberrimum nomen tuum protrusa experiri potueris, calumniarum exempla. Aderunt ubiuis terrarum, praestoque aderunt magni nominis tui cultores ingenui, qui, si opus visum fuerit, pro meritis statim expediant, praecipitique nouem per iugera saltu pulsant tam inutile in re litteraria fucorum genus. Quibus tamen displicent Heinecciana Elementa Iuris Ciuilis, siue propter methodum axiomaticam, siue propter alias rationes, iis adrideant Io. Ortu. Westenbergii *Principia Iuris*, tam secundum ordinem *Institutionum*, quam secundum ordinem *Digestorum seu Pandectarum*, in vsum auditorum vulgata,

et non solum a Batauis aliquoties impressa, sed etiam a Germanis typis renouata, vel Corn. van Eck *Principia Iuris Ciuilis*, secundum ordinem *Digestorum*, quorum editio quinta excusa est Trai. ad Rhen. 1724. 8. et procul dubio etiam recentior exstat. His ducibus eximiis viam praeeuntibus, praeclaram, et e limpidis legum fontibus, sine admixtione aliorum iurium, deductam iuris ciuilis cognitionem, etiam in foro versaturis olim frugiferam, docentes tradere, discentes percipere possunt, neque ideo opus habent ad eiusmodi libros rursus cursum flectere, qui toti sunt foedae barbariae sordibus oppleti.

D